

Nobilissime Amplissime & Prudentissime Domine,

K137

A Viris quibusdam Eruditis, qui libellum meum Physicum, hactenus latentem, in lucem protulerunt, in maxima periculum videor coniectus. Quamvis enim nihil criminosi habeat: continet tamen multa, quae a vulgaribus quorundam opinionibus nonnihil recedentia, illum forsan iniquis nonnullorum calumnijs, nisi magno Patrono ab ijs vindicetur, obnoxium facient. Consultissimum itaque duxi, ad Principem Auriacum, communis Patria & Libertatis non tantum publicae, sed etiam privatae, summum defensorem, confugere, eiq; libellum consecrare, atq; ita tutelarem eius opem implorare. Ad ipsum saepe etiam magnorum delictorum rei confugiunt, quibus, pro sua clementia veniam eorum interdum faciens, tutelam suam non de- negat. Ego nullius criminis, sed solius animi alios invadendi cupidi mihi conscius, patrocinium eius non despero. Hanc spem in me auget Reverendus & Amicissimus Doctor Johnsonus, qui me certiore esse voluit, si ad tuum auxilium confugiam, te pro benevolentia, qua omnes veritatis ulterius investiganda Studiosos complecti soles, non gravaturum Celsissimo Principi literarium nostrum munusculum offerre. Cum itaq; Academia, familia, & pericula non patiantur, ut iter ad Principem in castra instituum; & res non ferat ut reditum eius in Aulam expectem, omnixi etiam atq; etiam rogo, ut libellum nostrum Principi offerre, eumq; illi commendare, ac patrocinium eius adversus Livorem meo nomine ipsum rogare digneris. Hoc si feceris, non dubito quin Clementissimus Princeps hoc tuis precibus sit indulturus, mihiq; necessitatem impositurus, ut tibi Vir Nobilissime maximam mea securitatis partem in aeternum debens, perpetuo maneam

Nobilissima & Prudentissima Tuae Amplitudinis.

Cultor observantissimus
Henricus Regius

Ex tribus additis Exemplaribus unum Celsissimo Principi Auriaco, alterum Celsissimo eius Filio Principi Wilhelmo, tertium Vestrae Nobiliss. Amplitudini destinavi: eaq; ut benigna manu accipiantur omnibus votis rogo. Vtraiecti vpsis kalendis septembris Anno 1646 Stylo Gregoriano

Syngentiae d. 1.
1646.

[Faint, illegible handwriting on aged paper]

K137

Nobilissimo Amplissimo Prudentissimoq;
Viro Domino,

Dño Constantino Huygens,
Zuilichemij & Domino, &
Cellissimo Principi Auriaco
a Consilij & Secretis.

